

Genetia

Hist. Amer. 14.



VALEDICTURUM DISCIPULUM NOSTRUM

Infra nominatum,

Hora conveta,

IN AUDITORIO MAJORI,


D. XV. MAJI

Ut benigne & benevole audiant,

**Venerandos Dnn. Inspectores, Patronos
Fautoresq; omnes**

Officiose & peramanter rogat

M. GEORGIUS ANDREAS Winhold/ RECTOR.



CTGNEÆ

Literis Büschelianis.

America veteribus nota.

Hist. Amer.

149, 40

11.



(a) d. rebus
invent. l. c.

(b) Salmuth
ad b. l.

(c) Lactant.
instit. divin.

l. 3. c. 24.

August. l. 16.
de civit. Dei

c. 9.

(d) Lactant.
c. 1. l. c.

(e) Angu-
stin. l. c.

(f) Aventin
Annal. Bo-
jor. l. 3.

(g) Salmuth
l. c.

(h) Act. 17.
26.

(i) Horn.
orb. imp. p.
m. 327.

(k) Hilde-
brand. sy-
nop. hist.
univers.
period. 1.

N veteribus innotuerit orbis novus, disputari solet: Nec ad liquidum perducta videtur disputatio, multis id negantibus, non paucis contra sentientibus. Terras ad solem occidentem fitas inter res ante incognitas, nunc autem denuo inventas refert Pancirollus. (a) Caussam sedulus ejus interpretes suppeditat, quod extiterint nonnulli, qui ipsam etiam terram ea parte esse negaverint: quidam inde cœlum ex rerum natura auferre non dubitaverint. (b) Accedit patrum nonnullorum autoritas. Terram infinitis radicibus deorsum extendi ac fundari, communis opinio erat. (c) Exinde falsa animis persuasio infederat, quasi stultissimum foret, credere aut statuere Antipodes. Aut est quisquam tam ineptus, qui credat, esse homines, quorum vestigia sunt superiora, quam capita? aut ibi, quæ apud nos jacent, inversa pondera? inquit lactei oris apud Christianos orator. (d) Absurdum putat Hipponensis Præsul, & statuere Antipodes, & affirmare homines aliquos ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare & pervenire potuisse, ut etiam illic ex primo homine genus institueretur humanum. (e) Secuti nobilissimos Ecclesiæ Doctores plerique sunt mediolorum temporum Christiani. Siquidem Bonifacius, Episcopus Moguntinus, rerum Geographicarum admodum expertus, nulla ratione adductus, collegit: Si essent Antipodes, alios homines adeoque alium Christum induci oportere. Cui cum Virgilius eruditione & sanctimonia celebris Philosophus, & idem Episcopus Bavaricus se opponeret; Moguntini opera factum, ut Zacharias Pontifex Maximus ad Regem Baviaræ Utilonem, literas daret, quibus Virgilium sede Episcopali ejiciendum imperavit. (f) Rumor quoque fere omnium aures pervaserat: novum illum orbem habitari non posse: undiquaque cuncta vel mari circumfusa, vel æstu solis ac vapore adusta: nusquam commodum manendi locum relinquere. (g) Enimvero extra dubium posuerim, orbem, quem ab inventione nova novum appellamus, etiam veteribus non fuisse ignotum. Hic autem non est, quod ad incolas Americanos & tot gentes ibi repertas provocemus. Quamvis enim omne genus hominum ex uno sanguine prognatum sit; (h) adeoque America cultu populorum teri haud potuerit, nisi Asiaticis, aut Europæis, aut Africanis coloniis: non idcirco tamen necessario consequitur, illam coloniis ante occupationem sedium suarum, aut illi genti, unde migraverint coloniæ, cognitam fuisse. Certum est, novos Americæ cives aut terrestri itinere, aut maritimo transvectos esse; & quidem ejusmodi rationibus transvectos, quæ in facultatem hominis naturalem cadebant. Nam neque cogitare possumus, alteram arcam Noæ appulisse eo: neque Angelum quemquam, ut quondam Abacuch Prophetam è Palæstina in Babyloniam, remotissimæ telluris seminaria traduxisse. Multo minus cum ingeniosis hominibus vel Ganymedis aquila, vel equus alatus Persei in subsidium vocari poterit. Jam si terrestre iter transitori incolæ tenuerunt, quod eo tractu terrarum fieri potuit, ubi Asia cohæret, si quidem cohæret, Americæ: (i) vel sciverunt ipsi aut conjecerunt, esse orbem, esse stationes fortunæ suis accommodatas. Qui vero remanserunt, eos tanti momenti demigratio non latuit. Sic possessio vetus Americæ ipsius Americæ notitiam satis luculenter argueret. Vel migrantes suo impetu usi sunt, & aut discessum suum declararunt, aut clam remanentibus & magna festinatione trajecerunt, ita ut nemo discedentes sentiret quidem. Sic rursus notitia omnis excluditur. Sin vero maris viam secuti sunt, cui studio fretum Anian, si quod habetur, commodissimum fuerit visum: (k) aut consilio & ratione certa impulsus id cepere consilium, ut dedita opera animoque nova quærendi navigationis cursum eo dirigerent: aut casu abrepti & sorte præter spem ad alterum orbem appulerunt, & quia vi tempestatis legere ac tueri sua littora atque ligare naves haud quiverint. Prius rursus agnitionem orbis manifesto argumento confir-

confirmat. Nam metam ferire velle sine præfixa meta, rationi sanæ inimicum esset. Posterius autem si acciderit, notitiam per se non admittet, cum casus interveniens libertatem agendi, cui intellectus noster præluceat, omnem sustulerit. Ex quibus emergit ultro, argumentum à possessionibus desumptum parum aut potius nihil valere ad probandam orbis novi notitiam. Neq; porro causam nostram stabiliet navigatio Ophiritica Salomonis. Quis sibi persuaderi statim pateretur, Regem sapientissimum ex mari rubro cum vela daret, viciniore terras longe diffitis, notiores ignotioribus, fertilissimas pretiosarum rerum minus vel certe non magis fertilibus, periculosissimas aditu minus plerumque periculosis postposuisse? Nemo facile ad credendum inducetur, sapientiam Regis tædioſo circuitu longissimisque ambagibus uti, & mille labores, mille pericula sustinere maluisse in Arabico, Aethiopico, Magellanico, Atlantico, Brasiliano aut Pacifico Oceano, quam ex Joppe aliove portu mediterranei maris per fretum Gaditanum multo faciliore via incedere, præsertim cum maria adhuc invia quasi & clausa viderentur, & ipsa navigandi ars in suis initiis lateret. (l) Qui faciendi sumtus? quantum temporis impendendum? quales ætus perferendi? dum abeuntibus & redeuntibus quater linea superanda, toties Capricornus & Cancer, noxia sæpe sidera, tangendus? Præterea in Americanis regionibus non omnes illæ merces reperiuntur, quas apportasse Salomonæos scriptura loquitur; non ligna Thyina, non ebur, non gemmæ, non pavones, non simiæ. Seorsum in Hispaniola præter aurum & saccharum; in Peru præter aurum & argentum; in Peru & Mexico præter aurum & margaritas nihil habetur, (in quibus partibus positam Ophiram sunt, qui autumant) cum tamen mentio fiat plurimum, quibus se Salomon locupletavit, quæ sane non in itinere forsitan ex aliis insulis, sed ex Ophir allata h. e. aurea Chersoneso, quæ illis rebus abundasse dicitur. Et Salomonis naves in orientem destinatas, firmissime demonstrari putat Lippenius ex eo, quod Idumæo in littore sive Afiongaber, maris rubri maritima civitate, classis ejus stationem habuerit, inque eam Tyrii Sidoniique nautæ maris gnari à Rege Hyram cooptati & Salomoni transmissi essent. Tribus demum annis reversi leguntur nautæ, quoniam littora tenebant cursu, nec dum liberiori se Neptuno credebant. (m) Memorat Siculus auctor Marinæ, nummum aureum cum effigie Augusti reperi- tum in orbe novo, atque Romam missum esse ad Pontificem, ut majori fide & applausu res acciperetur. Produunt & Hispani memoriæ, in valle, quæ caute dicitur, in provincia Chili oppidum haberi, quod eam ob causam Imperiale nominarent, quia in plerisque domibus & portis aquilas offendissent bicipites, ea forma, ut hodie in signis imperii cernuntur. Quod ideo imprimis miratur Lipsius, quia nullam avem duobus præditam capitibus illa tellus produceret. Notat etiam Marcellinus, in obeliscis Aegyptiorum volucres ferasque alieni mundi sculptas deprehendi. (n) Hæc & hujuscemodi alia, quæ vulgo de America narrantur, si vera essent & indubia, profecto de cognitione orbis novi apud veteres neutiquam dubitandum amplius fuerat. Quippe citra miraculum res singulares eadem ratione & modo se habentes à duobus hominibus excogitari non possunt, nisi alter ab altero fuerit instructus informatusque. Nulla enim facultas hominis tali inventioni sufficit nec ratio, nec vis corporea, nec experientia, nec denique affectus. Aliunde arripi & tradendo sciri hæc necessum est. At testibus fide dignissimis novi orbis notitia probari roborarique debet. Plato Philosophorum Coryphæus Atlantidem Insulam meminit Asia & Africa majorem, locatque ad fauces Gaditani maris, quæ longe lateque introrsum pateat, ex qua transitus sit ad Insulas alias, iterumque ex istis ad terram continentem oppositam. (o) Hæc profecto non conveniunt in Insulas Fortunatas aut Canarias, minus in unam istarum, cum vel sola obstet magnitudo. Belle vero conspirant cum illa parte orbis, cujus gratia hoc loco quæstionem movimus. Nam quod America Asiam atque Africam spatio superet & magnitudine, tralatitium

(l) Lippen.
in navig.
Ophirit. Sa-
lom.

(m) Lippen.
l. 6.

(n) Lipsius
Physiol.
Stoic. l. 2.
dissert. 20.

(o) in Timæo
& Critia.

titium puto. Quod olim Africae propius adjacuerit, reliquiae ejus hodiernae, Canariae potissimum & Fortunatae ostendunt. Quod transitus inde in Insulas fiat, videlicet Cubam, Hispaniolam, Jamaicam, regionum mariumque peritiorum. Quod ex his porro in continentem, nempe tractum Peruvianum & Mexicanum, transire liceat, magistra experientia docuit. Diodorus pluribus describit Insulam amoenissimam beatissimamque in mari Atlantico à Libya distantem plurium dierum navigatione, in quam à tempestatibus acti rem propalare noluerunt, ne aut alii occuparent; aut sui etiam amoenitate loci allecti, Carthagine deserta, eo se conferrent. (p) Gemina ferme affert Aristoteles: in mari, quod est extra columnas Herculeas à Carthaginensibus inventam fuisse Insulam desertam, sylvas habentem omnis generis arborum & fluvios navigabiles, & cæteris fructibus mire fertilem, multorum dierum itinere à Gadibus remotam, in quam propter ubertatem cum sæpe commearent Carthaginenses, adeoque in illa nonnulli pedem figerent, Carthaginensium præsidēs sub pœna mortis cavisse, ne quis eo navigaret, & omnes loci incolas è medio sustulisse, ne rem propalarent, & multitudo ad illos se conferret, Insula principatum consequeretur, & Carthaginensium felicitatem interturbaret. (q) Hæc igitur Phœnicum Insula non potest esse una ex Fortunatis aut aliis circumjacentibus. Itaque conjicit Bochartus, vel nusquam esse hanc Insulam, vel unam ex Insulis novi orbis, aut partem aliquam Brasiliæ, quam littoribus nondum satis peragratis Phœnices acceperint pro Insula. (r) Imo non desunt, qui prodiderunt, quod Phœnices & Carthaginenses circiter bis mille annos ante Vesputium per mare Atlanticum ultra Insulas Fortunatas ad novum orbem navigaverint. Nam & Hanno Dux Carthaginensium à Gadibus ad finem usque Arabiae fertur circumvectus. (s) Succenturiantur tantum, non probant fortiter, quia ad Africam plæraque applicari possunt, loca reliqua, quæ adduci solent in hac causa, Ciceronis: alteram oram mundi, quam nos incolimus, positam sub axe ad septem stellas: australem, ignotam nobis, quam Græci vocant ἀνταρctica. (t) Virgilii: jacet extra sidera (extra planetas adeoque extra Zonam torridam) tellus extra anni solisque vias, ubi cœlifer Atlas axem humero torquet stellis ardentibus aptum. (u) Senecæ: venient annis secula feris, quibus Oceanus vincula rerum laxet, & ingens pateat tellus, Tiphysque novos detegat orbēs, nec sit terris ultima Thule. (w) (Tragicus in gratiam Claudii proprie Insulas Britannicas intelligit.) Et alio loco: Unde scio, an nunc aliquis magnæ in abdito dominus fortunæ indulgentia tumens non contineat intra terminos arma, an paret classes ignota moliens? unde scio hic mihi, an ille ventus bellum invehet? (x) Et rursus: fertiles in Oceano jacere terras, ultraque Oceanum rursus alia littora, alium nasci orbem. (y) Clementis: Oceanus & mundi (propter magnitudinem) trans ipsum sunt. (z) Premitur autem hæc sententia, quæ innotuisse veteribus Americam affirmat, non una difficultate. Obtenditur, sub Zona torrida habitari non posse. At repugnat experientia, cum suavissime etiam sub ea vivi possit. (aa) Pyxis nautica priscis seculis defuit. At opinantur sagaciores, Insulam Atlantidem jam mersam supplevisse intercapedinem novum inter & veterem orbem, sic ut transiri mare facilius potuerit. Præteribo, virum eruditum Fullerum multis argumentis ostendisse, Salomonem omni sapientia illuminatum usum pyxidis nauticæ Carthaginensibus monstrasse. (bb) Quem vero refutat Bochartus. (cc) Sed cur tanta res, tam diuturna oblivione deleta? responsionem dabunt jam allati scriptores, ne Carthago vilesceret, America incrementum caperet. Sic ergo Columbus Americam vetustate oblitteratam detexit postliminio & velut novam fecit nobis. (dd) Columbi hujus vitam cum usura, quæ inde in rempublicam redundarit, breviter describet Philuream mox salutaturus.

DAVID DIETERICUS, Kirchbergensis,
 Valedicenti pro more veteri bona verba dicturus est
 JACOBUS FOERTSCHIUS, Weissenbornensis.
 Deus ingenii largitor juvenem comitetur spemque de eo conceptam no-
 inanem esse sinat! P.P. Cygneæ d. 14. Maji 1702.

(p) l. 5. p. 207.

(q) in admira-
 rand.

(r) l. 1. Geo-
 gr. sacr. c.
 38.

(s) Plin. l.
 2. hist. nat.
 c. 67. Voss.
 d. Hist. Græc.
 l. 4. & ad Me-
 lum l. 3. c. 4.
 Isaac Voss.

(t) in somn.

(u) l. 6. An.

(w) in Me-
 dea.

(x) quest.
 e. ult.

(y) Suasor.
 1.

(z) in epist.
 ad Ephes.

(aa) Feller.
 flor. Phi-

los. ad l. 1.

Georg. Voss.
 gil.

(bb) Miscel.
 l. 4. c. 19.

(cc) l. c. l. 1.
 c. 38.

(dd) Boi-
 sard. Icon.

viror. illust.
 conf. Wegner

commentat.
 d. navig.

Salom.